



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Quid sit Deus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

Credo in unum  
Deum.

## CAPVT XXXIII.

## ARGVMENTA.

1. *Quid sit Deus.*
2. *Quid sit credere in unum Deum.*
3. *Quomodo omnes damnantur, qui non credunt in Deum.*

**C**hristus Ioan. 4. inquit: Deus spiritus est, id est, non est caro aut aliquid corporale, ut lapis, lignum vel creatura, sed est spiritualis substantia vel natura, tota perfecta, bona, potens, & est ipsa bonitas, iustitia, misericordia, &cæt. Non enim est aliud bonitas, sapientia, misericordia ab ipsa essentia & natura Dei, sed re ipsa sunt illa substantia spiritualis, quæ Deus est: in Deum nullum cadit accidens: igitur ipsa bonitas, summa misericordia, iustitia, potentia, &cæt. sunt Deus. Non sunt in Deo actus culpabiles, scilicet mentiri & male velle, sed ipse est summa veritas: nec sunt in eo actus pœnales, ut dolere, metuere, quia omnipotens: nec actus corporales sunt in eo, ut dormire, ambulare, comedere & bibere, &cæt. nec actus vitiosi, ut superbia, ira, inuidia &c. quia ipse est summum bonum: dicitur aliquando Deus irasci dum punit peccata, sed hoc metaphoricè dicitur. Est igitur Deus summum bonum, omnia sciens, omnia potens, nullum habens consortem in nomine & virtute in creaturis. Naturam DEI velle inuestigare, est nobis impossibile, nec commissum ut faciamus: dicit enim Eccle. 3. Altiora te ne quæseris: Viæ Dei, inquit Apostolus Roman. 11. sunt inuestigabiles. Non igitur Deum cognoscere debemus secundum naturam,



sed in rebus: hoc enim docet Apostolus Romanorum primo. Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, id est, potentia Dei agnoscitur, qua omnia creauit: sapientia, qua omnia ordine vario gubernat: benignitas Dei, qua omnia conseruat: non enim recedit à creatura, sicut architectus à domo: sed omnia portat & conseruat sua virtute. Igitur ex varijs & quidē pulcherrimis creaturis agnoscimus creatorem, Actorum 17. In ipso uiuimus, mouemur, & sumus. Nisi peccatum obfucasset nostrum intellectum, multò clariùs uideremus in creaturis uestigium Dei.

2.

Crede in vnum Deum, est primò firmiter tenere & credere, quòd sit vnus Deus, qui te creauit corpore & anima, & omnia quæ habes, dedit, ad Heb. Accedentem ad Deum oportet credere quia est, id est, quòd sit vnus Deus & Dominus super omnes creaturas: Insuper oportet credere, quòd sit remunerator inquirentibus se. Igitur credere in vnum Deum, est aliud nihil, nisi totam fiduciam & spem ponere in Deum, tanquàm in suum creatorem, à quo habet vitam & corpus & animam, tanquàm in suum nutritorem, defensorem, & saluatorem: hæc enim à seipso Deo credit & sperat sibi euētura esse: nisi enim Deus enutriet, defendat, saluet, in vanum erit omne studium hominis. Psalm. 126. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, &c. Sic Apostolus Roman. 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis nocebit, si Deus defendat? quis fame aut gladio peribit, si Deus saluat & custodit? Ideò inquit Petrus, 1. Petr. 5. Omnem sollicitudinē iacite in Deum, ipsi enim est cura de vobis: salutate vos humiliamini sub potenti manu Dei. Est quoque credere in Deum, credere verbo eius, & obedire mandatis eius. Malach. 1. Si Dominus ego sum, vbi est timor meus? Si pater, vbi honor meus, dicit Dominus exercituum? & Lucæ sexto inquit Christus: Qui

vocat